

No. 888. 1415. 20. Dec.

Das Concil zu Constanz fordert den B. Rudolph nachdrücklichst auf gegen diejenigen, welche innerhalb seiner Diöces und seines Gebiets die Boten des Probsts Petr. Boleste, Theilnehmers am Concil beraubt haben, einzuschreiten und die Herausgabe des geraubten Geldes u. s. w. zu bewirken.

Sacrosancta synodus Constatiensis venerabili fratri Rudolffo episcopo Misnensi salutem et dei omnipotentis benedictionem. Grave et molestum, immo intolerabile et amarum mentibus est nostris in tantum quorundam excrevisse inhumanitatem audaciam simul atque malitiam, quod omnipotentis dei et ecclesiae sanctae suae reverentia et timore postpositis omnique caritate et pietate neglectis in illos damnabiliter irruant, qui ad hoc concilium aut pro suis aut hic existentium aliorum necessitatibus venire frequentant, nec impii reformidant in eos manus iniicere violentas, bona diripere et plerumque, quod detestabilius est si sint clerici, inferre vulnera, ipsos flagellare caedereque verberibus, minime cogitantes, quod nos hic de longinquo et ab extremis finibus terrae in utilitatem ecclesiae convenimus pro pace totius populi christiani, nec attendentes miseri in luce eorum conscientiae, quod talia impedimenta spolia turbationes et sacrilegia in publicum omnium detrimentum, gravem ignominiam nostram et scandalum redundare cernantur, et denique in divinae maiestatis opprobrium et contemptum. Sane ad nostrum pervenit auditum ex relatione dilecti ecclesiae filii magistri Petri Boleste, praepositi ecclesiae Lanticiensis¹⁾ Gneznensis diocesis, apostolicae sedis prothonotarii, quod nuper certis suis familiaribus de partibus suis cum certa et magna pecuniae quantitate ad ipsum pertinente huc venientibus, ut idem prothonotarius cum eadem pecunia posset iuxta decentiam status sui in hoc sacro concilio expensarum onera supportare, tandem nonnulli iniquitatis filii in locis tuae diocesis tuaeque ditioni suppositis eosdem familiares more praedoneo et raptorum ac temerariis et impiis ausibus insultando, dictis pecuniis et rebus aliis, quas secum deferebant, ipsos inhumaniter spoliarunt illas secum asportare minime formidantes. O infelices animas, o spiritus prophanatos, o malesanas conscientias illorum, qui impia haec audent sacrilegia, et forte non minus illorum, qui, dum sciunt et debent et si velint possent, medelas et remedia efficaciter non apponunt, cum sicut a sapiente describitur: Qui non vetat peccare, cum possit, iubet. Nosse autem potest tua fraternitas, quam vehementer de talibus displicentiam indignationem et amaritudinem nostris in cordibus habeamus, ut dum nos domibus propriis et privatis curis nostris penitus dimissis, solum pro pace totius orbis tam longaevo iam tempore hic laboramus laborareque iugiter intendamus, talia et tam nepharia scelera et delicta in nostris oculis inferantur. Quibus quidem insolentiis et flagitiis, quantum cum deo possumus, obsistere cupientes, iam nostro decreto in tam damnabiliter irrumpentes excommunicationis sententiam, sed loca etiam in quibus delicta huiusmodi perpetrantur promulgamus interdicta, prout iam credimus ad vestram iam diu noticiam pervenisse, notum insuper facientes, ne excusationem ignorantiae praetendere quisquam possit, qualiter ultra praemissa imperialis extat solempniter edita constitutio, tempore praesentis sacri concilii perpetuo

¹⁾ Lancicia, jetzt Leczyca (Lencziz in Polen). Vgl. Ryszczewski et Muczkowski cod. dipl. Polon, II. p. 394 sqq. u. XLIV.